Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 61
Quelle:
Copyright:

&c. 3) Apocryphum illum Pſalmum: *Puſillus eram inter fratres* &c. ubi tamen monetur: *Hic Pſalmus in hebraicis codicibus non habetur, ſed nec in LXX. interpretibus. eſt idcirco repudiandus.* 4) *Hieronymi* Prologum in Verſionem ex LXX. notum illum et obvium in Bibliis: *Pſalterium dudum Romae poſitus* &c. 5) denique *Tercium*, ut praefertur, *Prologum* Autore mihi ignoto, cujus initium: *Liber pſalmorum quanquam vno concludatur volumine, non eſt tamen vno eodemque factore* &c. In decurſu quaedam e Prologo *Hilarii* in Pſalmos agnoſcas. Pſalmi ipſi Rubricis allegoricis inſigniuntur, uti etiam Particulae Cantici Canticorum. Ad calcem legitur: *Finitur Eccleſiaſtiſticus et conſequenter prima pars biblie Anno 1453°.* Non ita *conſequenter;* plurima enim vetuſta Exempla Partem alteram a *Libris Salomonis* auſpicantur. Alterius Partis noſtrae ſortem ignoro.

XLIV.

R. 3257 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 229. f. max. per duas columnas charactere luculento ſplendide exaratus, minio diſtinctus, et Initiorum literis grandibus laete picturatis viſendus complectitur vulgatae Verſionis *Pentateuchum*, *LL. Joſue*, *Judicum*, *Ruth*, magnoque dein ſaltu Libellos *Salomonis*, *Sapientiam* et *Eccleſiaſticum*, ad quae per Portam mire coloribus variatam introducimur, cui litera unciali inſcriptum: *Incipit Epiſtola Beati Jeronimi Ad Paulinum Presbiterum De Omnibus Diuine Yſtorie Libris.* Ita reliqui quoque Libri ejus *Prologis* gaudent, non tamen ſat emendatis. Initium etiam *Geneſeos* magnifice comtum eſt. Textus diſtributionem *Capitum*, qua nos utimur, a prima manu non habet. Multis vocibus rectae pronunciationis ergo Accentus impoſiti ſunt. *Cantica Canticorum* Perſonarum interloquentium nominibus diſtinguuntur. *Siracides* miniata paſſim Argumenta dicendorum praefert, et ſubnexam habet *Orationem Salomonis* e III. *Reg.* c. 8. et II. *Paralip.* c. 6.

Fol. 226. p. 2. *Incipit Paſſio Sanctorum Hermachore et fortunati.* Manu ejusdem Sec. ita: *Si quis unanimitatem ſanctorum martyrum contempletur* &c. Edita eſt haec Paſſio primum a *Bon. Mombritio* ſub Typographiae exordia *Mediolani*, ut videtur, inter *Vitas Sanctorum fol.* 1. p. 2. f. Ex hac Editione cum Codd. *mſſ.* collata reproduxerunt illam *Bollandiani* ad diem 12. *Julii* p. 251. Neſcio vero, quis Codex illis perſuaſerit, ut Praefatiunculam, cujus initium dedi, quaeque usque ad verba: *laedere arbitrentur*, pertinet, mediae narrationi *n.* 4. prorſus incohaerenter inſererent. Temporis ſucceſſu non parum aucta et interpolata fuiſſe haec *Acta* in confeſſo eſt apud Criticos, quos praecipue nomen *Auſtriae Provinciae*, et *Ataulfus* cum *Ulfio* a S. *Marco Aquilegiae* inventi offenderunt. Atqui a Codice noſtro totum iſtud abeſt;